

D F N

1604



00
17
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XIII.

DE XV. CAPITE
GENESEOS,

de qua

SUB PRÆSIDIO SALO-
MONIS GESNERI S.S. THEOLOGIAE
Doctoris & Professoris in Academia UVi-
tebergensi ad diem 21. Octobris Anno
Christi 1598. DEO IUVAN-
TE respondebit

WOLFGANGUS FIRNHABER
Guntzenhusanus Francus.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
clō. 15. xcviii.

REVERENDIS, CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS
VV.

Dn. M. MICHAELI STIBARO, Ecclesiae ad D. Gumpertinū concionatori meritissimo. Dn. M. ABDIAE UIKNERO aulae Onoldinae Concionatori primario.

Dn. M. IOACHIMO HOFFMANNO S. Consistorij Onoldini Secretario honoratissimo. Dn. CHRISTOPHORO LOHBAVERO Ecclesiae Guntzenhusanae Decano, patrono πατριωτάτω.

Dn. M. MARTINO MONNINGERO Ecclesiae Pinopolitanae Decano fidelissimo. Dn. M. LAURENTIO LÆLIO, Ecclesiae Onoldinae Symmistae dignissimo.

Patronis, Promotoribus, Præceptoribus suis
suspiciendis, hasce Theses submissè gratitudinis ergò offert &
consecras

Respondens

Wolfgangus Firnhaber.

DE CAPITE XV.

Geneseos.

THESIS I.

Quo pacto corporales vicerit hostes Abrahamus, proximè expeditum est. Hic jam spirituales luctam ingreditur. Ea siquidem fidelium est conditio, ut perpetuò foris sint pugnae, intus pavores, 2. Cor. 7. & 12. Luc. 13. 14. Iob. 7.

II.

Qui autem fuerint stimuli, qui Patriarchæ animum exerceverunt, quique divini Spiritus hic illi exempti sunt auxilio, in hac disputatione cognoscemus.

Questio I. περί δράματ.

III.

Principiò verbum Domini ad Abrahamum factum fuisse commemoratur, idq; in visione, id Græci interpretantur de nocturna apparitione.

IV.

Varijs autem modis divinam majestatem Patribus locutam fuisse vel apparuisse, Ebr. 1. traditur. Septem præcipuos ex historijs colligimus: I. *σώμα κατὰ σώμα ἐν ἰδῆ*, Num. 12. Gen. 2. & 3. Syr. 17. v: 11. II. *δι' ἀγγέλων*, Gal. 3. 19. Acto. 7. 53. Ebr. 2. 2. Gen. 19. & 22. 23. Ex. 19. Dan. 8. & 9. Luc. 1. & 2. III. *δι' ὀπῆσιν*, Luc. 1. 22. 2. Cor. 12. 1. Gen. 28. & 32. Ios. 5. quo præsens apparitio pertinet. IV. *κατ' ὄναρ*, Matth. 1. 20. 2. 12. 13. Gen. 37. & 41. Dan. 2. V. *διὰ προφητῶν καὶ ἀποστόλων*, Of. 12. Matth. 23. 2. Cor. 3. VI. *ἐν ἡῶ*, Ebr. 1. Ioh. 1. Gal. 4. 1. Tim. 3. Annumeretur ille *ἐκ τῶν ποιημάτων*, Rom. 1. 19. Sap. 13. De his plura Procopius in Esaiam. Aug. tract. 35. Ioh. lib. 3. Trin. ab initio. Lombard, 1. 1. dist. 3. Christo proinde jam exhibito, per quem Deus nobis locutus est *ἐν ἡμέταις*, novissimè, non expectemus cum Phanaticis & alijs novas revelationes & cum Deo colloquia,

Varij modi apparitionum divinarum.

A 2

Questio

11. *Questio περι παρακλίσεως τῶ πατριάρχῃ.*

V.

Cum Deus Abrahamum metu vacare jubeat, causa metus & formidinis merito inquiritur. Alij quidem vel reditum hostium, vel sinistros de victoria rumores, vel aliquid incommodi, quod victoriam infecutum sit, animum ejus afflixisse comminiscuntur, Lyr.

VI.

Sed Dei oratio totiusq; capitis colloquium ostendit, ea Abrahamo curæ fuisse, quæ mox audiemus.

VII.

Deus scutum.

Nam quòd ait, Ne metuas, ego sum scutum tuum, id evincit, sensisse sanctum virum ignita diaboli tela. Deus autem ejusq; æterna veritas adversus Satanam & mundum fidelibus est firmissimum præsidium, Psal. 23. & 27. & 118. & 91. Prov. 18. Matth. 16.

VIII.

Et si metu vacare debet, oportet ut Deum sibi prius iratum inspiratione Satanæ existimavit, jam verò propitium se habere sentiat, Rom. 5. & 8. Esa. 41. 43. Jer. 1. Luc. 12.

IX.

Deus portio & hereditas fidelium.

Addit autem, & portio tua admodum magna, qua promissione omnem illi sollicitudinem de SEMINE, de posteritate, deq; reliquis cum temporalibus tum æternis commo-

X.

vsus 1.

Si in mundo aut parum aut nihil habes, Deum habes omnia habet, qui omnia habentem habet: August. Psal. 73. Luc. 10. v. 42.

XI.

2.

Falsum hinc esse apparet, quòd Deus frustra colatur, ut impij censent, Jer. 44. 15. Mal. 3. 14. Nam pietas est μέγας πορισμός, 1. Tim. 6.

XII.

3.

Possideant terrestres sua in terris, nostra sunt in cælo. Matth. 6. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Luc. 16.

Abraham statim agnoscit verum Deum.

Questio III. de præcipuis scrupulis, qui Abrahamo infixi.

Hæc Deus: Abrahamo nunc auscultandum, qui ait, Domine Deus, Cujus, quæso, indicio novit, hunc esse Jehovah, quo



quo τεκμηρίω illum à diaboli spectris discernit? Fuisse aliquid, quo Patriarchæ & Prophetæ Dominum ilicò agnoverunt, certum equidem, quale id, nobis non traditum est.

XIV.

Primò omnium ἀυτάρεσκειαν suam iustus testatam facit, quòd ait, quid mihi dabis, pro exigua nimirum vitæ, quæ restat, portiuncula, & solitario? Donis Dei contentum esse summa est opulencia, 1. Tim. 6, Prov. 30, Job. 1.

XV.

Iam quid desideret exprimit. Primò enim, ego sum, inquit, orbis, vel ut Hebræus habet, orbis vado, ingressurus nimirum viam universæ carnis. De orbitate verò duplici conqueritur, ut ejus verba ostendunt.

XVI.

Præcipuum est, quod sibi SEMEN illud Benedictum, Gen. 3. & 12. non datum esse, dolet. Hoc enim illum spectare capite duodecimo didicimus, & Paulus Gal. 3. nomen Zaira, semen sic interpretatur, & eo fidem Abrahami subnixam fuisse perspicuè tradit.

XVII.

Postea ἀτεκνίαν deplorat, quæ pro pœna & cruce semper est habita, Gen. 16. & 30. 1. Sam. 1. Luc. 1. Contra πολυτεκνία (si liberi probi sint) singulare donū Dei est, Psal. 127. Syr. 16.

XVIII.

Atq; inde porrò istud etiã senem angebat, quòd facultates suas divinitus datas non absque difficili tamen labore, in potestatem hominis peregrini & fortasse tunc insolentioris ob patriæ & nominis nobilitatem, deventuras prævidet.

XIX.

Non ex invidia est, sed quòd pro pœna agnoscit, si hæreditas ad alienos devolvatur, cum ait: ecce filius Maseck domus meæ, iste Damascenus Eliezer, erit hæres meus. Est enim certè pœna, Eccle. 6. v. 14. Syr. 11. v. 20. Prov. 15. 25.

XX.

Et alioquin opes non sunt acquirendæ, ut vel habeantur solùm, Eccle. 6. Matth. 6. vel in alios, & indignos dilapidentur, sed ut possessori profint, Eccle. 4. v. 7. & 5. 9. & 9. 7. & liberis relinquuntur, 2. Cor. 12. v. 14. 1. Tim. 5. 8.

XXI.

Neque facultatum solummodo sed in primis promissionis de Messia hæreditatem titulumque Ecclesiæ ad servum translatum iri metuit.

XXII.

Totam verò hæsitationem caro suggererat & diabolus auxerat, nodum ambiguitatis in divina promissione nectens, utrum de uterino, an adoptivo hærede accipienda esset.

XXIII.

*Eleazari
persona.*

De Eleazaro duo quærentur. Vnum, quid nam Filius Mesek. Nam Græci Hebræam appellationem retinuerunt, & filium ancillæ, qualis erat Ismaël, interpretati sunt Cyrill. lib. 6. in Gen. Onkelus reddit Filium Governatorem domus, cum quo pleriq; & Lutherus. Nam Mesek est Oeconomus à Masak vel Schakac; Quod discurrere notat, appellatus. Alijs videtur Maschkeh pocillator & pincerna esse, à Schakah, quod propinare est. Nonnullis placuit filius relictus appellari; non modò quòd omnia illi relinquenda, sed quòd alterius hæredis spes præcisa videbatur.

XXIV.

Alterum, quomodo & Verna Abrahami & Damascenus. Emtum Damasci, vel patre Damasceno, servo Abrahæ, natum nonnulli existimant, rectius sentiunt, qui in itinere, eum Patriarcha Damascum transiret, acquisitum aut natum censent.

XXV.

Hæc obiter. Ad rem quod attinet, uno responso omnes animi morsus Abrahamo sanantur, quod verbum Domini ait: Non erit iste hæres tuus, sed qui egreditur de utero tuo, ille erit hæres tuus. Per uterinum autem filium non modo Isaacum, sed in primis semen illud benedictum intelligitur. Genes. 12. Galat. 3.

*Questio quarta de promissionis
confirmatione.*

Promis-

XXVI.

Promissionem suam Deus confirmat monstrato caelo stellarum lucentibus globis undique corusco.

XXVII.

Si noctu editum oraculum, miraculo res caruit. Quia verò iterata seminis promissio, miraculo roboranda erat. Statuit Chrysostomus & alij, ὑπὲρ φύσιν καὶ ὑπὲρ λόγον stellas interdiu, ὡς ἀπὸ μηχανῆς, exhibitas, ut Abraham sciret, tam promptum esse Deo, domum sterilem liberis replere, quàm facile caelum stellis, coram humanis oculis vacuum, iisdem exornare.

XXVIII.

Julianus sic istam astrorum contemplationem interpretatur, quasi è siderum positu cursuque Abrahamus fortunam neporum suæque gentis didicerit, ut Astrologi temeraria audacia futura prænunciant. Sed id inane commentum est, & rectè illi responderet Cyrillus lib. 10. Quis est, qui novit mentem Domini. Ab ipso autem factum dicimus astrorum chororum, non quòd sanctorum Prophetarum dignitatem habeat, vel aliud quidquam, præterquam ut luceant hominibus, & sint in temporum signa, Gen. 1.

*Juliani
astrologi-
cæ nugæ.*

XXIX.

Monstrato caelo, Dominus adijcit: Dinumera stellas, si potes: Sic erit semen tuum, quibus verbis & innumerum numerum & incredibilem claritatem familiæ Abrahameæ significat.

XXX.

Quod profectò divinæ omnipotentiae evidentissimum specimen & grande miraculum est, Ies. 51.

XXXI.

Paulus non tam de naturæ, quàm gratiæ filijs interpretatur, Rom. 4. v. 18. Quare nos quoque ejus gratiæ, quæ Abrahamo contigit, per fidem participes sumus.

Quæstio

Questio V. de Fide Abrahæ ejusq; justitia.

XXXII.

Quid ad hæc Abrahamus? Credidit Abraham Deo, ut Græci reddiderunt. Si Deo, annon etiam in Deum? Credere enim in Deum utique plus est, quàm credere Deo. Aug. Psal. 77. Imò verò Hebræa veritas dicit: credidit in Dominum, & Chaldaica paraphrasis ait: Credidit Abraham in verbum Dei, ne quis in patrem ipsum credidisse, neglecto filio existimet. Qui enim negat filium, neque patrem habet, 1. Iohan. 2. 23. Ioh. 14. 6.

XXXIII.

Qui autem credit in Deum, ille fiduciã suam in eum collocat. Fides itaque Abrahæ firma est in Deum fiducia cum spe minimè dubia, Ebr. 11. Credidit enim in spem contra Ipem, Rom. 4. Origen, ibid.

XXXIV.

Quid Abraham credidit? Objectum fidei illius non est unica saltem promissionis divinæ particula de amplitudine generis, deq; rebus alijs terrenis, sed quicquid Deus pollicitus fuerat. Inter quæ caput & arx est de Semine benedicto deq; nascituro ex ipsius posteritate Messia.

XXXV.

Testem ejus rei infallibilem habemus Paulum Apostolum, qui ait, nobis non aliter fidem imputari ad justiciam, quàm Abrahamo sit imputata: imputari autem ijs, qui credunt in eum, qui excitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis, &c. Rom. 4. 24. Quod si nos fide in Christum justificamur: justificamur autem exemplo Abrahæ, Abrahamum fidem in Christum ejusque meritum habuisse, necesse est. Alioquin nec ille pater esset fidelium, neque nos perinde, ut ille, justitiam consequeremur, Actor. 13.

XXXVI.

Fidei autem porro tribuitur, quòd imputata sit Abrahamo ad justiciam. Vnde Jesuitarum figmentum reprimitur quòd Bellarminus ait: Actum illum credendi fuisse opus meritorium, & pro tali à Deo judicatum & acceptum. Contra Paulus Rom. 4. & 9. & Gal. 3. meritum & gratiam, fidem & opera septimòs opposita esse validissimè evincit, ut ubi sit unum, alteri locus esse nullo modo queat.

37. Anne

XXXVII.

Anne Abraham nunc demum justificatur? Minime. Quod enim fide in venturum Messiam ex Vr Chaldaeorum migravit Deoq; vocanti obedierit, Ebr. 11. scriptum est: ut supra cap. 12. patuit. Atq; ibi quidem fides ex operibus enituit, hic insuper à Spiritu sancto prædicatur.

Pontifici-
orum ob-
jectiones
de justifi-
catione.

XXXVIII.

Et patet inde quàm alienum sit à doctrina Evangelij, quodd Pontificij initia saltem nostræ coram Deo justitiæ adscribunt fidei: cum Patriarcha tot virtutum operibus clarus, nunc quoq; non meritis sed fide, gratis propter Christum justificetur,

XXXIX.

Sic enim Paulus: Si Abraham ex operibus justificatus est, haber, de quo gloriatur, sed non coram Deo. Quid enim scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam. Operanti autem merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Non operanti autem, credenti autem in eum, qui justificat impium, imputatur fides ipsius ad justitiam Rom. 4.

XL.

Hoc tam manifestum Apostoli pronunciatum ut Iesuitæ aliquo saltem fuce eludere possint, comminiscuntur duplicem justitiam, primam videlicet, qua homo impius gratis fide absq; meritis justificetur, alteram, qua justificatus magis justificetur suis virtutibus ex operibus, Bellarmin:

XLI.

Sed Paulus indicato loco Rom. 4. verbis luce meridiana clarioribus ostendit, Abrahamum credidisse in eum, qui justificet impium, idq; illi ad iustitiam imputatum esse, & mox imputationem è Psalmo 32. ita describit, quod Deus homini imputet justitiam $\chi\omega\rho\iota\varsigma \epsilon\gamma\gamma\omega\mu$, quodq; illius ita justificati peccata tegantur, & non imputentur, sed gratis remittantur. Indeq; concludit, Abrahamum hac ipsa & minimè alia justitia justificatum fuisse.

XLII.

Sicut etiam Gal. 3. docet, Abrahamum esse justificatum absq; operibus, idq; ex benedictione probat. Nam si ex operibus

B

ribus

ribus & non gratis, sine operibus, justificatus esset, benedictionem consequi non potuisset: Cum maledictionis sint rei, quicumque ex operibus legis justificari cupiunt.

XLIII.

Etsi autem Apoc. 22. scriptum est, justus justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc: Haudquaquam tamen inde ridicula pontificiorum distinctio sequitur, Siquidem Angelus non de gradibus & incrementis justitiæ, sed de perseverantia deique ejusdem innovatione, quæ indies per penitentiam fit, loquitur,

XLIV.

Cum enim justitia nostra coram Deo non sit habitus aut qualitas in nobis, sed misericordia Dei, gratis nobis peccata, interventu lytri Christi, remittentis, tam non admittit ullum incrementum, quam Deus ipse nulli mutationi & alterationi obnoxius est, quamque Christi *λύτρον* nullam recipit vel *αύξησις* vel *ἡπόσις*, sed omnibus idem & æquale est.

XLV.

Esaias certe jam justus nihilominus universas suas justitias à justificatione coram Deo longissimè relegat Es. 64. & Paulus itidem justus, non justificandus conscientie suæ puritatem 1. Cor. 4. 4. Univerſaque sua opera non majoris quam *εὐεολα* æstimat Phil. 3. quando forum divini judicij ingreditur.

XLVI.

Quod insuper Abrahamus de singulis divinæ promissionis partibus tam accuratè inquit, ex eo concludimus, fidem non esse confusam notitiam. Scire enim nos oportet quid credamus 2. Tim. 1. 12. ideoque scripturam diligenter scrutari Ioh. 5. & rogare, ut Spiritus sanctus nos intus erudiat Ioh. 6. Luc. 1. Ioh. 3.

XLVII.

Etsi autem Iacobi 2. scriptum est: Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, cum obtulisset filium suum in ara. Sermo tamen ibi est non de justitia ipsa respectu Dei, sed de ejus declaratione quoad nos, sicut Iacobus disertè ait: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam, itaque de *δείξις πίστεως*, non de fide ipsa agit, Ac

XLVIII.

Ac licet Paulus Rom. 4. 19. asseverat, Abrahamum fide nihil hæsitasse, nihilominus paulo ante audivimus, eundem ante traditam declarationem & monstratas cæli stellas de sententia divinæ promissionis dubium fuisse; Ex quo consequitur, quòd patriarcha in medijs dubitationum fluctibus & humanæ infirmitatis peccatis gratuita imputatione justificatus sit eo modo quo Deus justificat impium, Rom. 4. Ps. 32.

XLIX.

Fidem suis incrementis augeri, inq; eodem homine modo illustriorem modo obscuriorè, alias fortiozem alias imbecillem esse, Abrahami exemplo discimus. Vnde verò minime sequitur, justificationem quoq; augeri & minui. Quandoquidem non fides ex se, sed quatenus Christi meritum gratis illi imputatur, nos justificat.

L.

Hoc etiam porrò observandum est, fidem justificantem non esse generalem saltem notitiam de gratuita peccatorum remissione, sed ejusmodi firmam fiduciam, & πληροφορίαν, qua seipsum quilibet divinæ gratiæ inclusum esse citra omnem hæsitacionem statuat. Heb. 11. 2. Tim. 2. Ideo Moses ait: Abrahamum credidisse, & hoc ipsi imputatum esse ad justitiam, & Paulus inde argumentatur: Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quod imputatum sit ei ad justitiam, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus &c. Ebr. 11. Ab. 2.

LI.

Subsiste iterum in eo, quod Moses dicit: Ipsi imputatum est, non alijs: Nemo proinde aliena, sed quilibet propria fide justificatur & vivit Abac. 2. Rom. 1.

Quæstio VI. de postulatione signi.

LII.

Haftenus spiritualium bonorum, gratiæ divinæ, justitiæ, vitæ æternæ, mittendi Messiaë promissio, Sequitur jam corporalium bonorum pollicitatio, declaratio & confirmatio. Neq; enim allegoriæ hisce affragendæ sunt cū Lyra. Paulus equidem Rom 4. hinc infert, semini Abrahamæ spirituali promissam mundi possessionem, Sed aliud est genuinum cujusq; loci in scriptura

sensum exponere, aliud bona consequentia aliquid inde extruere.

LIII.

Iam id, quod propositum est, persequemur. Pollicitatio proinde, in his est, quod Deus ita Abrahamum alloquitur: Ego sum Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, ut possideres eam. Recordatione beneficij accepti fidem facit illi, quod promittit.

LIV.

Itaq; nos etiam memoria bonorum nobis exhibitorum nostram aliorumq; fidem fulciamus: Psal. 22. 105. 106. 107. &c. Et sicut Abrahami animum ea vox erigit, quod audit, Deum sibi ducem esse; Ita nos hoc duce & comite nihil metuamus, Ps. 23. & 41. Ioh. 14. Ideo te eduxi & huc usq; deduxi, inquit, ut darem terram Chanaan: Immota proinde sunt firmaq; Dei promissa 2. Cor: 1. Iac. 1. 17.

LV.

Quod autem ait: Ego sum Iehova. qui eduxi te ex Vr Chaldæorum, juramenti vim habet, quo Deus τὸ ἀμετάθετον suæ promissionis & consilij comprobatur, ut firma esset animæ nostræ ancora. Ebr. 6.

LVI.

Tibi, inquit, dabo terram Chanaan possidendam, & tu possidebis eam: Atqui Stephanus Act. 7. ait: non dedit ei hæreditatem in ea, ne passum quidem pedis. Attende quid ibidem porro martyr ἐξηγητικῶς adjiciat: promissit se daturum illi & femini illius post ipsum. Abraham enim non sui solum sed & suorum personam sustinet. Et sicuti Levi in Lumbis Abrahæ decimas persolvit Melchisedeco Eb. 7. Ita vicissim, quod nepotibus datur, patri non immeritò conferri statuitur.

LVII.

Abrahamus quoq; hic hæsitat, itaq; porro sciscitatur: In quo sciam me fore possessorem ejus. Quod utrumq; hæc quæstio velit, tum divinæ promissionis genuinam sententiam, tum etiam ejus per evidens signum confirmationem ex oraculi responso patet. Hæc autem interrogatio non est ἀπιστία ἀλλὰ μαθεὶν ποδῶντος ἢ τῆς ὁποῦ τῆς κληρονομίας, quem modum Deus illi aperuit, ut ait Theod. quæst. 64.

18. Licet



LVIII.

Licet proinde discendi causa quærere quomodo: Sicut Maria Luc. 1. 34. Non licet ex pertinacia, si quis divinam veritatem humanæ rationis argumentis oppugnare velit, ut Capernaitæ Ioh. 6. 55. Luc. 1. 18. Ioh. 3. 9. 1. Cor. 15. 35.

LIX.

Signa quoq; Patriarchis & Prophetis petere licuit, partim ut suam fidem roborarent, partim ut nepotibus & Ecclesiæ consulerent. Quod hic in Abrahamo, mox in Eleazaro Gen. 28. in Gedeone Iud. 6. in Hiskia Es. 38. & similibus constat.

LX.

Neq; solum licuit, sed Deus ipse quoq; signa obtulit: ut Mosi & Aarone: & Achaso regi hypocriticè averfanti graviter succensuit. Esa. 7.

LXI.

Postquam autem familiaris illa Dei cum hominibus colloquendi ratio, missione Filij, per quem novissimè nos est allocutus, abrogata est, nos signa postulare nullo modo debemus Matth. 12. 39.

LXII.

Et hic iterum apparet, in justificatis quoq; & Sanctis multas superesse nebulas & dubitationes Rom. 7. Ac si tantus vir fidei confirmationem flagitavit, quantò magis nos quotidie rogare debemus, ut Deus in nobis confirmet, quod cæpit: Ps. 68. & cor mundum in nobis creet Ps. 51.

Questio VII. de signo, quod Abrahamæ datur.

LXIII.

Vide quanta Dei sit φιλανθρωπία: Nam & signum offert & signi interpretationem adjicit. Nihil enim eorum, quæ salutis nostræ conducunt, intermittit. Ps. 103. Deut. 32. Mar. 23.

LXIV.

Iubetur itaq; Patriarcha quatuor generum animalia sumere, vitulum, capram, arietem, quæ tres annos singula habeant, & his turturem, pullumq; columbinum jungere.

B 3

65, Sume,

LXV.

Sume, inquit, mihi, non tibi, non cuiquam alteri. Quæcunq; enim facimus, honori divino inservire, non nostram gloriam spectare debent Col. 3. 17.

LXVI.

Sume mihi, id est, segregata mihi. Nam res sacramenti non substantiam amittit, sed conditionem mutat. Pecudes istæ ante hunc ritum vulgares erant, jam sunt factæ, non essentia abolitione, sed à communi usu segregatione 1. Cor. 10. 16.

LXVII.

Sume mihi: Deo itaq; dicata & consecrata in privatum commodum rapienda non sunt 1. Sam. 2. Matt. 22. 21. Act. 5. vitula, capella, aries, turtur, pipiones tenuia sunt & vilia, maximarum interim rerum Sacramenta. Placet enim Deo per stulta & ludrica suam potentiam exerere 1. Cor. 1. 2. Cor. 12.

LXVIII.

Paret Abraham & pecudes dissecat, partesq; similes similibus è regione, vel ut rotundè græci, ἀνὰ πρὸς ὄσσωπα opponit, volucres autem relinquit integras.

LXIX.

Iulianus ex hoc ritu ethnicorum εἰδωλοδυσίαμ stabilire frustra conatus est, sic enim scribit: Sacrificabat Abraham, quemadmodum & nos semper continuo.

LXX.

Sed solidissimè contra Cyrillus lib. 10. extremo & lib. 6. Gen. Mos erat apud Chaldeos juramenta stabilire transendo per medias divisiones, & lex regionis ejus rem confirmabat.

LXXI.

Solebant victimas dissecare & partes adversum partes opponere, perq; medias illi, qui fœdera pangebant, transire, & in hanc sententiam verbis conceptis fidem mutuo stipulari: Ita me dividat Deus, si fefellerò.

LXXII.

Et sanè hanc ceremoniam non ab ethnicis & Græcis habuisse vel Chaldæos vel etiam Iudæos, ut Iulianus comminiscitur, sed ab istis illos per κακοζήλιον mutuatos esse, Iudæos à Deo accepisse, temporum ratio evidentissimè convincit. Iudæis profectò usitata fuit, ut hoc loco 1. Sam. 11. 7. Jer. 34. 18. patet.

Dissectio

LXXIII.

Dissectio animalium Ecclesiae per totum terrarum orbem dispersionem, nec non calamitatem Pl. 43. 24. Rom. 8. 36. aves indivisae unitatem Eph. 4. denotant.

LXXIV.

Sacrificio ita parato, volucres carnivorae & immundae (Hagait) cadaveribus inhiant, quae daemonum, tyrannorum, haereticorum, harpyarum, & quorumlibet hostium Ecclesiae, veraeque doctrinae imaginem exhibent. Matth. 13. 4.

LXXV.

Abrahamus tamen illas abigit, ea re ostendens, tutelam pijs eorumque confessioni & Sacramentis nunquam defore Matth. 16. 18. & 10. 30.

LXXVI.

Et sicut seni plus nimio alioquin concinnandis factis de fatigato creophagi vultures molesti sunt: ita quemlibet sua in statione cum adversis colluctari oportet 2. 12. & 3. 12.

LXXVII.

Neque interim minus perseverandum, quam defessus hic Abraham finem procolatur Matth. 10. 22. Mar. 13. 13.

LXXVIII.

Consilia quoque Dei, licet ea non assequamur, exemplo tamen Abrahæ suspicere, non despiciere, pie mirari, non ambitiosè rimari fideles decet Luc. 1. 38. 45.

LXXIX.

Tres modos divinae revelationis Dominus ipse commemorat Num. 12. quorum exemplum hic habemus. Nam de visione modò audivimus, deque colloquio Dei cum Abrahamo, jam de somnio cognoscendum.

LXXX.

Sole enim ad occasum properante, profundus Abrahamum somnus occupat, Thardema, Graeci per *ἄνσασις*, mentisque excessum, qualis illa Petri Act. 10 & Pauli Act. 22. 2. Cor. 12. reddiderunt. Sed Gen. 2. eadem vox de sopore Adami, usurpatur.

LXXXI.

Cum verò hæc & eiusmodi alia sanctorum somnia testimonio Spiritus Sancti sint divina, quae suffragio nostra carent, ideo illis nisi nostra consilia nequeunt. Eccle. 5. religio somnijs multò minus stabilienda Deut. 13. Secunda



LXXXII.

Secundum quietem autem Abrahamum turbat horroꝝ tenebrosus & vehemens, ut discamus omnia Dei beneficia gustu crucis, temperata esse, quod ipsum quoq; non leve beneficium est, ne caro secundis efferatur & effererur. Pl. 118, Iob. 5. 2. Cor. 13.

LXXXIII.

Horret pater fidelium, quando calamitatum prædictionem audit: Non itaq; mirum nostram quoq; carnem ad mentionem crucis, morborum, miseriarum, mortis cohorescere. Matth. 26. 1. Cor. 13.

Questio VII I. de futuris Israelitarum calamitatibus.

LXXXIV.

Hæc de signo: sequitur ἐγμνησία divino oraculo edita, quæ partim acerba, partim jucunda est. Principiò enim calamitatum genera Abrahamæis denunciantur,

LXXXV.

Ea fors est Ecclesiæ & singulorum fidelium, ut amara prius quam dulcia gustent, in mortem prius, inq; infernum deiciantur, quam in vitam, celumq; extollantur. 1. Sam. 1.

LXXXVI.

Magna calamitas est exilium, major, si accedat servitus, inolerabilis, si crudelitas, Acerbiora tamen fiunt singula, quo diuturniora,

LXXXVII.

Asseveratio, qua Dominus ait: Sciens scito, certitudinem oraculi denotat, Consilia enim Dei non mutantur, ut cogitationes hominum, Es. 46.

LXXXVIII.

Exacta futurorum prædictio, cui eventus postea respondit, verum Deum ab idolis gentium discernit Esa. 41, v. 23.

LXXXIX.

Qua conditione & fortuna quilibet futurus sit, non Magi, non Astrologi, non alij Pseudomantæ, sed solus Dei Spiritus prænunciat, Ier. 10, Esa, 47, v. 14.

90. Eccle.

XC.

Ecclesiam suam in veteri Testamento quoties Deus exilio multavit, terminum fixit, ut hic, ut Jer. 25. 11. Iudæi proinde, qui jam ultra mille quingentos annos, incertis sedibus extorres vagantur, minimè sunt populus Dei: cum nullam reductionis promissionem ab ullo Propheta habeant.

XC I.

Cæterum cuius facile est signi explicationem intelligere, Singula enim victimarum genera, singulas ætates, distinctio illarum ærumnas & cruciatus denotavit, quod volucres incisæ non sunt, liberationem & reditum seculo quarto sperandam. Reliqua minutiora missa facio. Videatur Cyrillus lib. Gen. 6. Aug. Serm. 54. de Temp. & lib. 6. C. D. cap. 24.

Questio IX. de annorum ccc periodo.

XCII.

Quod anni cccc in exitum populi ex Ægypto desinant, dubium non est. Vnde numerandi initium fieri debeat, diversæ sunt sententiæ. Tutissimum tamen est à termino noto ad investigationem ignoti progredi. Certò autem constat ex ætate patrum in Ægypto Israëlitas 215 annos, non amplius, ibi exulasse: totidemq; annos inter adventum Abrahæ in terram Canaam & descensum in Ægyptum elapsos esse, qui juncti 430. efficiunt Exod: 12. Et hinc pleriq; numerationem inchoant, minoremq; numerum à Deo reticere arbitrantur.

XCIII.

Sed cum Paulus Gal. 3. 17. claris & perspicuis verbis à promissione Abrahamo tum facta, cum terram Chanaan modo ingressus esset, Gen. 12. usq; ad promulgationem legis, quæ mense tertio egressum ex Ægypto subsecuta est, Exod. 19. annos 430. decurrille annotaverit. Ista verò visio & promissio, de qua nunc, multo sit recentior illa, Idcirco non videtur ea sententia vero consentanea.

XCIV.

Cumq; Deus perspicuè loquatur non de Abrahami sed seminis ejus exilio: idcirco seminis ortu exilium & ærumnæ ejusdem antiquiores esse nulla ratione possunt.

C

94 Isaac

XCV.

Isaac porro natus est anno peregrinationis Abrahæ 25. ut patet Gen. 16. 3. & 17. 1. 24. 25. 26. & 21. 4. 5. Isti proinde à summa 430. deducti 405. relinquunt, qui numerus oraculo proximè respondet, ut infert Aug. lib. 16. Civit. Dei cap. 24.

*Questio X. de liberatione Iſraëlitarum
ex Ægypto.*

XCVI.

Sed de adversis ista sufficiant: nunc lætiora cognoscamus. Principio Dominus promittit, se de barbara Ægyptiorum gente supplicium sumturum.

XCVII.

Ego illum, inquit, populum, cui posteritas tua servitura est, judicabo, id est, puniam, Deo proinde vindicta est relinquenda Deut. 32. 35. Rom. 12. 19. Ebr. 10. 30.

XCVIII.

Si vindicat injurias hospitibus illatas, hospites igitur benevolè tractandi sunt Ex. 22. 21. Ebr. 13. 1. 2.

XCIX.

Deinde liberationem spondet: Et postea, inquit, egredientur. Facit itaq; Dominus pro sua clementia ejusmodi exitum miseriarum, ut perferre possimus 1. Cor. 10. 13.

C

Tertio adjicit opes. Non vacuos educam, sed opibus instructos. Ita enim Deus multò majora suis commoda largitur, quàm onera imponat, Job. 42. 13. ea crucis & patientiæ utilitas Ebr. 12.

CI.

Postremò non sinam eos, inquit, amplius vagari, sed in hanc terram restituam. Nondum itaq; natis fidelibus Dominus hospitia procurat ps. 139. 2. Sam. 7.

CII.

Causam, cur Deus non ilicò, expulsis Chananæis, terram suo populo tradat, ipse exponit: Quia nondum integra seu absoluta est iniquitas Amorrhæorum.

Ostendit

CIII.

Ostendit hæc oratio *μακροθυμίας* Dei in ferendis impijs, & indulgendo pænitiæ spacio Pl. 130. qua qui abutuntur, iram sibi thesaurizant Rom. 2. 4.

CIV.

Evincit etiam peccata alijs alia esse graviora & minimè æqualia, licet omnia infidelium delicta sint mortalia, Ioh. 5. 16, Ioh. 19, 11.

CV.

Sequitur hinc, Deum nationi impiæ propter aliquot in ea pios parcere Gen. 18. In Chananæorum enim terra erat Melchisedech, Abimelech, Loth, & alij Abrahami amici, ut colligit Theodoretus.

CVI.

Illud etiam patet, Deum non delectari gentis ullius interitu absoluto adversus illam odio, & fatali decreto, nisi ipsa sua se malitia evertat Syr. 10. 8.

CVII.

Multò minus in ancipiti fortunæ lapsu, inq; astris quærendæ regnorum periodi, populorumq; incrementa & decrementa. Levit. 26, Deut. 28. Nazianzen: orat: 26.

Quæstio XI. de senectute & morte Abrahae.

CVIII.

De posterorum fortunis certior redditus, diceret fortasse Abrahamus, quid interim de meipso? Quapropter & hac ipsum cura Dominus exolvit. Sed tu, inquit, ibis ad patres tuos. Patres non idololatrias sed fideles, Noam, Iapetum, Sethum & similes intelligit Gen. 10. Ad eos autem corpore transferri non debuit, sicuti nec factum est, Gen. 25. Anima proinde post obitum superstite ad illorum concilium commigravit, Luc. 16, Eb. 12, Matt. 22.

CIX.

Quo autem modo proficiscar ad patres? Num ut Enoch? Non eo pacto, ne fideles Abrahamæ se filios esse dubitent, si exitu dissimili hinc avocentur. Sed sepelieris, & quidem in pace, ait Dominus: Martyrio proinde Pater fidelium coronari non debuit, ne quis in eum, tanquam in Mediatorem credendum putaret, cujus exemplo credendum esse didicisset.

C 2

Quando

CX.

Quando deniq;? In senectute bona & cum vitæ satur
fueris, ut Lut: reddidit. Vnde colligimus μακροβιότητα, vitæq;
felicem clausulam non in hominis sitam esse arbitrio sed divi-
na donari benignitate, & pijs dari ps. 91. ps. 139. Deut. 30. 20.

CXI.

Arsiduis proinde precibus id à Domino rogemus Psal.
90. & 39. Esa. 38. quod Bileam quoq; pseudopropheta agno-
scit, licet ὑποκρίσκῃς. Num: 23. 10.

Questio XII. de federe Dei cum Abrahamo.

CXII.

Quæ fuerit ad signum postulatum παρασκευῆ ab Abraha-
mo instituta, commemoratum est. Restat, quid Deus addide-
rit: Hoc enim præcipuum est. Cum ergo sol occubisset facta
est caligo tenebrosa & apparuit clibanus fumans, & è fumante
clibano lampas ardens transiens per divisiones illas victima-
rum. Et hac solennitate Deus fœdus cum Abrahamo pepigit.

CXIII.

Habes Symbolum Ecclesiæ, cui lumen liberationis sub-
inde in tenebris calamitatum oritur Ps. 112. & doctrinæ cæle-
stis, quæ è tenebris humanarum traditionum tandem elucta-
tur 2. Cor. 4. 6.

CXIV.

Cum autem Deus tot argumentis & appositis tesseri-
s fidem Abrahami ab omni dubitandi ansa avocet, perspicuum
hinc est, quod dubitatio & fluctuatio illi sit abominabilis
Ebr. 11. & 6.

CXV.

Sigillatim autem Deus illustrat hæreditatem terræ pro-
missam, tum ut certa esset sedes Ecclesiæ, usq; ad sperati sem-
inis exhibitionem, tum ne latius terminos suos dominandi
cupiditate proferendos scirent: Et deniq; ut omnes homi-
nes agnoscerent, Deum regna & hospitia mundi suo arbitrio
distribuere Dan. 2.

SOLI DEO GLORIA.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







B.I.G.

Farbkarte #13

STATIO BIBLICA XIII. A
V. CAPITE
NESEOS,

de qua

RÆSIDIO SALO-
SNERI S.S. THEOLOGIAE
Professoris in Academia UVi-
ad diem 21. Octobris Anno
1598. DEO IUVAN-
TE respondebit

FRANGUS FIRNHABER
intzenhusanus Francus.



WITEBERGÆ,
M. Georgij Mulleri.
clo. lo. xcviii.

Am

